Quelle: https://manuscripta.at/?ID=5915
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48"> <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg">



nes 280

qui de celo descendi. Si quis manducauerit ex hoc pane viuet
in eternum. Et panis quem ego dabo caro mea est pro mundi uita. Litigabant
ergo iudei ad inuicem dicentes. Quomodo hic potest dare nobis carnem
suam ad manducandum. Dixit ergo eis iesus. Amen amen dico uobis
Nisi manducaueritis carnem filii hominis et biberitis eius sanguinem
non habebitis uitam in uobis. Qui manducat meam carnem et
bibit meum sanguinem habet uitam eternam et ego resuscitabo eum in no
uissimo die. Caro mea uere est cibus et sanguis meus uere est
potus. Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem in me
manet et ego in eo. Sicut misit me uiuens pater et ego viuo propter patrem
et qui manducat me et ipse viuet propter me. Hic est panis qui de celo
descendit. Non sicut manducauerunt patres uri manna et mortui
sunt. Qui manducat hunc panem viuet in eternum. Hec dixit in sy
nagoga docens sabbatis in capharnaum. Multi ergo audientes ex
discipulis suis dixerunt. Durus est hic sermo. quis potest eum
audire. Sciens autem iesus apud semetipsum quia murmurant dis
cipuli eius de hoc dixit eis. Hoc uos scandalizat. Si ergo uide
ritis filium hominis ascendentem ubi erat prius. Spiritus est qui uiuificat.
Caro non prodest quicquam. Verba quae locutus sum uobis spiritus et uita
sunt. Sed sunt quidam ex uobis qui non credunt. Sciebat enim iesus
ab initio qui essent credentes et quis esset tradituus eum. Et dicebat
propterea dixi uobis quia nemo potest uenire ad me nisi fuerit ei datum a
patre meo. Ex hoc multi discipuli eius abierunt retro et iam
cum illo non ambulabant. Dixit ergo iesus ad duodecim. Nunquid et uos
uultis abire. Respondit ei Simon petrus. Domine ad quem ibimus
verba uite eternae habes. Et nos credimus et cognouimus quia tu es
christus filius dei viui. Respondit eis iesus. Nonne ego uos
duodecim elegi. et ex uobis unus diabolus est. Dicebat autem de
iuda Simonis scariothis. hic enim erat tradituus eum cum esset unus
ex duodecim. Sequitur septimum. VII

Post hoc autem ambulabat iesus in galilea. Non enim
volebat in iudea ambulare quia quaerebant eum iudei interficere. Erat
autem in proximo dies festus iudeorum scenophegia. Dixerunt
autem ad eum fratres eius. Transi hinc et uade in iudeam
ut et discipuli tui uideant opera tua quae facis. Nemo enim in occulto aliquid